



IN NOMINE JESU !
METHODICA
PRÆCIPUO-
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,

Cujus

DISPUTATIONEM XXIIIX.

De

Justificatione.

PRÆSES

JOHANNES Deutschmann,

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,

ET RESPONDENS

M. JOHAN-GUILIELMUS BARGER,

vocatus Scholæ Suinfurtensis Corrector.

proponent

D. Sept. Horis consuetis.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, Anno MDC LXIII.

IN NOMINE IESU
METHODICA
PRÆCEPTA
RIM ARITHMETICUM
EIDE SECTINOM ORDINEM
AN CULORUM SCHMALCAL
NIGORUM SYMBOLUM
REPERTIO

Justificatione.

JOHANNES GUNTHERMAN
D. R. P. ac Alumnus Hic Episcopi
M. JOHANN-GUILIELMUS BÄCKER
locum sibi substituit in Collegio
D. R. P. ac Alumnus
D. R. P. ac Alumnus

IN NOMINE JESU!

1. Vidimus priorem finem, qui vocatur *finis cui*, nim. Ecclesiam, nunc ad posteriorem finem, qui Cujus appellatur, vel res ipsa, quæ mediis allatis paratur, & Justificatio dicitur, tractatio nostra cum articulis Schmalcaldicis dirigitur. Quod a. justificationis sit restorationis finis, probatur inde [1] quia per justificationem ex ira statu peccator in statum gratie transfertur, adeoque restauratio nostra ratione juris perficitur, quoad actum inchoatur. [2] quia omnia hactenus enumerata media, nim. Lex & Evangelium, Pœnitentia & Sacramenta, Absolutio & Ministerium, ad justificationem, tanquam ad finem, tendunt. [3] quia Christo per justificationem inserimur, à Deo in filios recipimur, ex civitate Satanæ in civitatem Dei transcribimur, & Ecclesiæ genuina membra constituimur.

2. Dupliciter a. justificatio nostra consideratur, nimirum [1] In suis causis (2) in suis effectis. Illa tractatio dicitur essentialis, hæc accidentalis: illa considerat restorationem nostram à priori, hæc à posteriori: prior ab intra posterior ab extra justitiam nostram includit: illa tradit justificationis & οἶον, hæc ejus ἐνέργειαν: illa respicit abstractum, videl. ipsam justificationem, hæc concretum, videl. justificados: illa restorationem nostram ratione Dei declarat, hæc eam ratione proximi manifestat: illa justificationem internam, hæc externam proponit: illa principia, hæc saltem symbola, signa, vel indicia salutis tradit: illa justificationis naturam, hæc Bonorum Operum studium exponit. Hinc B. Lutherus articulo præsentis duos titulos proposuit, [1] Quomodo coram Deo homo justificetur. Et (2) De bonis operibus, ut prior illam, posterior hanc tractationem indicaret: & in textu duos paragraphos adducere voluit, quorum prior illam, posterior hanc tractationem expeditam redderet. Prius igitur ipsius Justificationis Naturam indagabimus.

3. Ut a. in justificationis natura l. exponenda, l. cognoscenda methodice procedamus, primò notabimus Onomatologiam, post ipsam pragmatologiam, ut ex illa confuse, sed ex hac distinctè

*naturam Justificationis hauriamus. Utitur B. Lutherus (1) Verbo
justificandi, quod ex titulo constat, (2) Nomine Justificationis,
quod ex initio textus liquidum, sed utrumque conditionis ejus-
dem est, cum justificatio descendat à verbo Justificare, adeoque
sui primitivi naturam æmuletur. Accipimus a. Verbum justifi-
candi (1) non sensu papistico, pro physica quadam mutatione: Si-
cut Beccan. p. 2. Theol. Schol. tract. 4. c. 3. q. 5. §. 26. indicat: Justificati-
onem nihil esse aliud, quam mutationem (Physicam) qua quis ex
impio sive peccatore fit justus, sicut sanatio est mutatio, qua quis ex
egroto fit sanus. Calefactio est mutatio, qua ex frigido fit calidum.
Nos n. coram Deo non physice, sed mystice justificamur. Nec o-
mnem peccati vel sensum, vel actum, multò minus radicem in a-
ctu justificationis amittimus, sed post justificationem peccata no-
stra confiteri necessum habemus I. Job. I. 8. 9. 10. Hinc talia funda-
menta Papistarum, quæ vel ab Etymologia, vel à Conjugatis,
vel à similibus, aut aliis probabilibus rationibus, desumuntur, non
sunt firmæ collectionis. (2) Neque sensu Pharisaico, pro sancti-
satis arrogantia, l. vana persuasione Luc. X. 29. XVI 15. XIX. 9. (3)
Neq; simpliciter sensu Patristico. Notum n. est, quod Augustinus,
& cum eo Patrum alii, vocabulo Justificationis in Disputationi-
bus contra Pelagianos (qui loca scripturæ de justificatione mise-
rè torquebant, & ad heterodoxum suum sensum detorquebant)
nonnunquam abusi sint, propter justificationis & renovationis
conformitatē, & quorundā actuum gratia justificantis & regenerantis ac
renovantis cōmunitatē, quia gratis & absq; operibus omnes fiūt:
hinc de fidei, aliorumq; donorum datione justificationis vocem
nonnunquam acceperunt, dicentes, Deum Justificare, h. e. inba-
renter justum facere, seu renovare nos absque operibus, cum ni-
hil sit in nobis, quod Deum ad gratiam renovationis nostræ com-
movere possit. Interim & hoc observandum est, quod Patres
neq; semper, neq; simpliciter hoc sensu vocabulo justificationis u-
si sint: sæpius genuinum sensum, videl. judiciale retinuerunt,
& in scriptis suis adhibuerunt. August. de Spirit. & Lit. c. 26. scri-
bit: Aut certè ita dictum est, Justificabuntur, ac si diceretur, justi
habebuntur, justī deputabuntur; sicut dictum est de quodam; Ille a.
volens justificare seipsum, i. e. ut justus haberetur, vel deputaretur.*

Plura

plura testimonia *Patrum* angustia tractationis modò non capit. (4) *neg.* sensu transitivo, vel *Osiandristico*, quasi *justificare* nihil aliud sit, quam *essentialem Dei justitiam homini communicare*, ut ea inquam *qualitas* in hominem *justificandum* transeat. Nam ut habet *B. Hutter. Explicat. F. C. p. 305.* *Osiander* verbi *justificare* significationem extruere conabatur ex conjugationibus *Hebraeorum*: asserens verba primæ Conjugationis denotare, qualitatem aliquam habere; Secundæ, eandem exercere; Tertiæ, qualitatem illam alteri tribuere, ut transeat in aliam personam. Jam ergo, cum verbum *justificare* sit tertiæ conjugationis *Hipbil* (הצריך) inferebat *Osiander*, illud idem notare, ac *justum facere per essentialem inhabitacionem justitiæ Dei*: Verum *essentialis Dei justitia* nihil aliud est, quàm ipsa *Dei essentia*, nobis prorsus *incommunicabilis*, multò minus per modum *qualitatis*, nobis *inhærentis*, communicari potest. (5) *Non sensu absoluto, sed relativo.* Nam *justificatio* nostra respicit *Dei gratiam, Christi meritum, Evangelium, Sacramenta, veram fidem*, quæ *Christi meritum, vel Dei gratiam, in merito Christi fundatam*, apprehendit: & horum respectu peccator *justificatur*. Verbum itaq; *justificandi*, scribit iterum *B. Hutter. diss. 4. in F. C. c. 2. tb. 14.* hoc loco in predicamento *περὸς τὸ* acceptum, habet fundamentum, Deum *justificantem & salvantem propter Christum*: Terminum, personam credentem: Relationem, ipsam *Divinæ misericordiæ & Christi justitiæ ad personam credentem applicationem*. (6) *Neg.* sensu quodam analogo, quatenus ἀναλόγως ad multa vox *justificationis* applicatur, quæ non sunt ipsa *justificatio*, sed ad eam quocunque modo respiciunt, unde variis modis etiam in *Sacris Literis justificandi Vox* accipitur, sicut 8. *significationes* in *Method. Repet. Conf. August. diss. 9. de justificat. tb. 11.* ex *Scriptura* notavimus. (7) *Sed sensu proprio*, huic mysterio consentaneo, quatenus vid. homo peccator in conspectu *Dei justificatur*. Sic cum *Form. Concord. Epit. p. 585.* asserimus: *Credimus, docemus & confitemur, vocabulum (justificare) phrasi scripturæ S. IN HOC ARTICULO, idem significare, quod absolvere à peccatis.* Et in *Declarat. p. 685.* *Vocabulum justificationis IN HOC NEGOTIO significat justum pronunciare, à peccatis & æternis peccatorum*

supplicis absolvere propter justitiam Christi, qua à Deo fidei imputatur. Quod dictis Biblicis ibi confirmatur. Forensis igitur, judicialis & politica significatio locum hic obtinet.

4. Quod Pragmatologian attinet, notamus (1) Thesin, l. Controversia statum ex ipso Titulo: *Quomodo coram Deo homo justificetur?* Ubi ratione subjecti notam meretur, quod non sit sermo (1) De justitia Dei (2) nec de justitia Angelorum (3) Sed de justitia hominis, & quidem peccatoris, adeo q; non de justitia Status integritatis, neq; de justitia Status glorificationis; sed de justitia status reparationis, de quo B. Lutherus in omnibus precedentibus articulis egit, tractatio nunc instituitur, non tam in facto esse, vel jam collata post justificationem, quam in fieri, vel adhuc conferenda, quatenus homo peccator coram Deo justificandus est. Deinde ratione objecti non hic respicitur ad justitiam naturam, quæ proclius in lapsu deperdita: nec ad justitiã vitam, secundum legem moralem, quæ propter corruptionem virium nobis penitus impossibilis: sed ad justitiã gratiam, quæ nobis gratis ex favore Dei per & propter Christum contingit Rom. III. hinc ratione principii Justitia Dei, ratione impulsu, justitia gratia, vel misericordia: ratione meriti, justitia Christi, ratione medii Justitia Evangelii, ratione nostri l. organi ex parte nostri, justitia fidei nuncupatur. Porro ratione modi justificatio non absoluta, sed relata, contra Socinianos, non externa, sed interna contra Phariseos, imputata, non inba, sua, contra Papistas, non naturalis, sed supernaturalis contra Pelagianos, mediata, non immediata, contra Calvinianos, uniformis per fidem, non multiformis per fidem & opera, contra Syncretistas, non legalis, sed Evangelica contra justitarios intelligitur. Deniq; ratione fori, de justificatione coram Deo, non coram hominibus, in foro poli, non in foro soli tractatio suscipitur.

5. (2) Ecce thesin l. Controversia tractatum, quem textus ipse proponit. Explicatur a natura justificationis tum ratione doctrinae & credendi, tum ratione dogmatum. Ratione docentium inquit B. Lutherus: *Quod de justificatione hactenus semper & assidue docui, mutare nec in minimo possum, tum quia doctrina hæc est ipsius Spiritus S. & SS. literarum; tum quia basin salutis nostræ concernit; tum quia hæc doctrina constantiter ex S. L. hactenus in*
in Aug

in Aug. Conf. in Apologia Confessionis, in Catechesi minoris & majori tradita fuerat; tum quia doctrina Papistarum meram dubitationem inferebat, hinc B. Luth. gravissimè scribit, Comm. in Gen. XLI. Etiam si nihil prater ea fuisset in doctrina Pontificia, quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare, ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostrae, iustas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus. Et in Epist. Galat. IV. docet, quod monstrum dubitationis sit opinio pestifera & pestilentissima, quae doctrinam fidei obruat, fidem evertat, conscientias perturbet, dona & beneficia Spiritus S. obscurat, verum Dei cultum abroget, idololatriam, contemptum & blasphemiam DEI in cordibus erigat. Propter has & alias causas constans orthodoxarum Ecclesiarum doctrina firmiter retinenda erat.

6. Ut a. veritatis indicium erat apud Nostros Doctrina firmitas & constantia, sic è contra Papistarum inconstans doctrina fluctuatio certissimum est falsitatis indicium. Et jamdudum à Theologis orthodoxis ad oculos ipsis demonstratum est, quam variis doctrinae ventis hoc fundamentale dogma de justificatione nostra coram Deo commiserint. Nunc saltem ex B. D. Jacob. Mart. Coll. 2. in Aug. Conf. d. 2. th. 6. repetimus, quod tredecim vicibus ad minimum statum controversia in hoc fundamentali l. cardinalis salutis negotio subdolè mutarint. Nam (1) interdum legis duntaxat ceremonialis operibus justificationem abrogant, ut sic moralis legis operibus eam esse concedendam, disertis verbis innuunt, Andr. ad l. 6. f. 5. 6. Mox in differentia legis asylum quaerunt, dum alios lege naturae, ut Patriarchas, alios lege Mosaica, ut Israelitas, alios lege Christi, sive Evangelica, ut Christianos in N. T. justificari doceant, Isengrin. super Evang. Septuag. & alii (3) Nonnunquam operibus, non quidem ex asse, sed ex semisse tamen justificationem concedunt, ut cum fide formatam (quod Eccius voluit) cum fide & charitate simul, seu fide viva & efficaci (ut Liber Caesar. Majest. Ratioponenfis loquitur) peccatorem justificari perhibuerunt. (4) Alias operibus non ut causis per se, sed tantum tanquam causis sine, quibus non, justificationem assignarunt Ruard. Tapper. Art. II. f. 182. & Petr. Asotus Cathol. Assert. fol. 61. (5) Quandoque fide & patientia con-

con-

constare justificationem nostram publicè prodiderunt, ut *Joh. d. Daventria in oppugnat. art. IV. Aug. Conf. in Harmon. f. 44. (6)* Non rarò propriam meriti vim quidem operibus in justificatione abrogarunt: sed quasi meritoria esse dixerunt, quæ quidem vim meriti non ex se habeant, sed ex misericordia Dei mutuarentur (7) Nō nunquam in subjecto variationis ansam arripuerunt, idq; bifariam. Aliàs n. Gentiles operibus justificari negarunt, ut sic in Christianis illud locum habere posse, haud obscurè innuerent, Petrus Asotus in schol. f. 55. aliàs geminum quoque in Ecclesia ordinem constituerunt, ut alios dicerent impios, qui nondum fuerant justificati, aut conversi, alios relapsos, qui, post justificationem semel acceptam, in impietate relapsi fuerint. Illos sine operibus omninò, hos sine iis neutiquam justificari assertum est. Hujus dogmatis publicum suscepit patrocinium *Joh. Hoffmeisterus in refutando hoc artic. Harmon. Aug. Conf. fol. 55.* (8) Fuerunt, qui opera non quidem esse causam meritoriam salutis & justitiæ contenderunt: organicam tamen esse & instrumentariam utriusque illius applicando causam contenderunt *Christophor. Lautherius.* (9) Fuerunt quoque, qui justitiæ, si non consequenda, tamen augenda rationem ex operibus esse, notarent *Tapper. art. II. fol. 181.* (10) Alii ex operibus non justificari quidem, salvari tamen hominem, publice docuerunt *Hoffmeister. l. d.* (11) Quidam justificationis initium fidei, progressum verò operibus adscribendum esse, publice statuerunt *Tapper. art. II. fol. 98. Concil. Trident. sess. 6. cap. 8.* (12) Plerisque visum fuit geminam constituere justificationem, primam & secundam. Illam, quæ in baptismo contingat, planè gratuitam; hanc, quæ propria sit adultorum, ex operibus constare. Sic communiter Jesuitæ docent, in primis *Colonienses & Trident. Concilium* (13) Tandem non desunt, qui justitiæ nobis inhaerenti, siue infuso habitui, constanti ex spe, fide, & cum primis charitate, justificationem tribuunt *Bellar. t. I. fol. 1032. & 1059.* Sic in hoc etiam doctrinæ papisticæ puncto, propter divorcia sententiarum falsitas apparet, quia juxta Gregorii dictum τὸ ἀληθὲς ἐν, τὸ δευτέρῳ πολλὰ καὶ δέξ, veritas simplex, mendacium multiplex.

7. Ratione dogmatum B. Lutherus naturam justificationis descri-

describere voluit, Nos per fidem (ut Petrus loquitur) aliud novū & mundum cor acquirere, & Deum propter Christum, Mediatorem nostrum, nos justos & sanctos reputare. Et tamen si peccatum in carne nondum plane ablatum & mortuum est, tamen Deus illud nobis non vult imputare, nec meminisse.

8. His in Verbis ostendit (1) *Causam Materialem*, quod Nos justificemur: adeoque justificatio (1) non est indefinite omnium operum Dei (2) nec *Spirituum Angelicorum*, cum boni Angeli justificatione non indigeant; mali v. propter spontaneam apostasian, juxta secretā Dei sapientiam, indigni justificatione habitū sint. (3) Sed *hominum*, quia Nos justificamur. Respicit a. justificatio non *homines integros*, juxta *statum primum*, neque perfecte restauratos, juxta *statum gloriosum*, sed homines restaurandos, absolute juxta *statum corruptionis*, comparative juxta *statum restorationis*. Uno Verbo *Homines peccatores* sunt objectum justificationis, quod breviter probamus ex auctoritate, quia Christus inquit *Marc. II. 17. Sani non indigent Medico, sed agroti: & ratione*, quia justificatio nihil aliud est, quam hominis peccatoris à peccatis, eorumque pœnis propter Christum absolutio.

9. Ubi tamen observandum, quod una sit & eadem uniuscujusvis hominis justificatio, nō a. alia sit *prima*, alia *secunda*. Tres equidem terminos justificationis nostræ Theologi tradunt, ut hominis justificatio consideretur (1) *circa primum restorationis statum*, quando primum homo remissionem peccatorum consequitur, & per fidem ex statu corruptionis in statum conversionis transferetur: sic n. per fidem in Christum omnium peccatorum antecessorum remissionem consequitur, & imputatione gratuita justitiæ Christi vere justificatur *Rom. IV. 5. I. Tim. I. 15. 16. Psal. XXXII. 1. & c.* (2) *circa continuum reparationis progressum*, quando Deus vel gratiosa virtute Spiritus S. justificationem in fidelibus continuat, quam continuationem Paulus vocat *justiciam ex fide in fidem Rom. I. 17.* siquidem fideles sua fide stare *Rom. V. 2.* quotidie Deum pro remissione peccatorum & justificationis perseverantia fiducialiter invocare dicuntur, juxta *Psal. XXXII. 6. & orationis Dominica praxin: Remitte nobis debita nostra Matt. VI.* Vel in lapsis post baptismum, sed post lapsum

B

rever-

reversis justificationem fide renovat I. Job. II. 1. 2. siquidem non vult mortem peccatoris, sed ut subinde convertatur, & vivat Ezech. XII. ult. XXXIII. 11. (3) circa postremum perseverantia terminum, l. hujus vite egressum, ubi manet eadem justificatio, juxta promissa Christi Salvatoris Apoc. II. 10. Matt. XXIV. 13.

10. Hinc omnino colligendum est ac concludendum, nam esse hominis fidelis justificationem in principio conversionis, medio Christianae conversationis, & termino Christianae, vel beatae transmigrationis. Probatur hoc (1) ex identitate rei, quia justificatio semper est & manet justificatio, h. e. fiducialis gratiosae remissionis peccatorum, & imputatae justitiae Christi apprehensio. (2) ex identitate fori, quia omnis coram Deo nobis contingit justificatio, sicut h. l. B. Lutherus testatur. (3) ex identitate principii, quia Deus non tantum justificat primum convertendos, sed etiam postea conversos, sicut Paulus docet Rom. IX. 33. Deus est hic, qui justificat. (4) ex identitate motivi, quia semper ex gratia, nunquam ex opere quodam nostro justificamur: gratis n. justificamur per gratiam Dei Rom. III. 24. in gratia stamus, & gloriamur spe filiorum Dei Rom. V. 2. gratia quoque salvamur Eph. II. 8. & ipsa vita aeterna donum gratuitum l. χάρισμα Rom. VI. 23. & χάρις sive gratia I. Pet. I. 10. 13. (5) ex identitate meriti, quia sanguis Jesu Christi nos emundat ab omni peccato I. Job. I. 7. dum primum justificamur per redemptionem, quae est in Christo Jesu Rom. III. 24. & postea pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, & ejusque meritum Rom. V. 1. ita ut nemo justificatos condemnare queat, quia Christus est hic, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, & qui est ad dextram Dei, & interpellat pro nobis Rom. IX. 34. & si quis peccaverit, habemus advocatum apud Patrem, Jesum Christum justum, qui propitiatio est pro peccatis nostris I. Job. II. 1. 2. & ipse Christus est vita aeterna I. Job. I. 2. c. V. 20. (6) ex identitate medii, quia verbum Evangelii est verbum gratiae, per quod nobis gratia non tantum offertur, sed etiam confertur Act. XIV. 13. & in via justificationis est potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. I. 16. imò continet aeterna vitae verba Job. VI. 68.

11. (II) *Causam finalem*, quæ dicitur *Cor novum & Mundum*. Nam hujus acquisitio per *justificationem* intenditur, per *restauracionem* inchoatur, per *renovationem* continuatur, & per *glorificationem* perfectè consummatur. Probatur hoc (1) *ex primi lapsus consideratione*, quia munditiem cordis, & omnium cordis affectuum in *Adamo* primo prorsus amisimus, & ita per illius inobedientiam omnes peccatores constituti sumus *Rom. V. 19.* & nunc per unius obedientiam, & inde resultantem justificationem puri l. justì constituimur. *ibid.* (2) *ex nostra justificatione*, quia *fide purificantur corda fidelium Act. XV. 9.* nim. per verbum & Sacramenta, ex quibus fides hauritur, & justificationis negotium offertur. (3) *ex nostra Electione Eph. I. 4.* quia Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & irreprehensibiles in conspectu ejus in charitate (4) *Ex Christi meritoria dilectione Eph. V. 25.* quia Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & irreprehensibilis.

12. (III) *Causam Efficientem*, quæ vel est *Principalis*, nim. Deus, quia Deus nos justos & sanctos reputat, h. e. solus Deus justificat, quod probatur (1) *ex diserta SS. literarum assertione Rom. IX. 33.* (2) *ex justificationis descriptione*, quia justificatio describitur, quod sit *actio Dei*: Deus igitur erit *agens*, & vera principaliter efficiens causa (3) *ex formaliratione*, quia justificatio formaliter in remissione peccatorum consistit: At non est hominis, nec Angeli, sed solius Dei remittere peccata, unde scribæ de Christo *Marc. II. 7.* *Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

13. Vel *Meritoria*, nim. Christus, quia propter Christum Mediatorem nostrum justificamur, tum quia ipse Jesus noster est, qui populum suum salvat à peccatis suis *Matt. I. 21.* tum quia non est in alio salus, nec aliud nomen sub cælo datum est hominibus, quam hujus Mediatoris nomen, in quo nos oporteat falvos fieri *Act. IV. 12.* tum quia ipse salvator omnium hominum, maxime
fide-

*Adelium 7. Tim. IV. 10. tum quia Mediator est unicus inter Deum
& homines I. Tim. II. 5. tum quia λύτρωσις redemptionis ipse solvit
pro omnibus v. 6. tum quia ipse coram Patre noster advocatus,
qui propitiatio pro peccatis nostris I. Job. II. 2.*

14. *Vel Instrumentalis, quia fide, vel per fidem justifica-
mur. Ubi notandum est, quod fides sit instrumentalis causa ex
parte nostri, quæ præsupponit instrumentalem ex parte Dei. Nam
quia justificatio est actio l. opus Dei, quod respicit hominem justi-
ficandum, adeoque promanat à Deo justificante ad hominem ju-
stificandum, ideo prius requiritur organon ex parte Dei, quod
est duplex, nimirum Verbum & Sacramenta, quia Deus nos justificat
Verbo, dum fides justificans ex auditu Verbi concipitur Rom. X.
17. baptismi lavacro, quod est lavacrum regenerationis & reno-
vationis in Spiritu Sancto Tit. III. 5. & Cæna sacramento, quod
in remissionem peccatorum distribuitur Matt. XXVI. 26. Ex par-
te v. nostri fides est instrumentalis causa justificationis, quia Deus
fide purificat corda nostra, teste Petro Act. XV. 9. & fide justificatur
homo Rom. III. 28.*

15. (IV) *Causam formalem, quæ consistit in eo, quod Deus
nos justos & sanctos reputat, adeoque consistit nostra justificatio
formaliter, juxta præsentem articulū (1) in novi & mundi cordis per
fidem acquisitione, quia licet per & propter nos mundi non simus, tamen pro-
pter fidem in Christum novum statum acquirimus, & in eodem mun-
ditiem coram Deo posidemus, quia fide DEO placemus Heb.
XI. 6. (2) in justitiæ & sanctitatis imputatione, quia justitia l. san-
ctitas, Christi merito nobis acquisita, per fidem salutariter impu-
tur, ita quidem ut licet peccatores simus, tamen propter hunc
Mediatorem nostrum justis sanctis reputemur Rom. IV. 5. (3) in pa-
terna peccatorum non imputatione: nam etiamsi peccatum in
carne nondum plane sublatum & mortuum est, ac fideles etiam
quotidie multifariam ex ignorantia l. infirmitate peccant, ta-
men Deus ex paterna gratia propter Christum, fide apprehen-
sum, nobis illud non vult imputare, nec meminisse, sed potius
indulgentia facili condonare, si modo dicamus, & vera fide re-
petamus illud: Pater noster, qui es in cælis. Remitte nobis debita
nostra &c.*

VO 17

